

III.

REGNUM MORTUORUM.

Nro. 37.

Politica Mortuorum Colloquia.

Elyſium-Meum, Die Veneris .i. Junii, 1810. (Neov. 16. Maj, 1810.)

Quorum Deus. — Ventēr est.

Colloquentes [Umbræ :

Apicius. — *Josephus d' Azincourt.*

Azincourt. Ex animo gratulor, principem
Cultorum genialis Cosmi mihi isthæ videndi
dari fortunam. — Jam ipsum Apicii nomen
tale est, quod adpetitum excoitat. Et ego
alumnus olim eram hujus cupediarum scholæ.

Apic. Aequè gaudeo talem discipulum
coram me intueri posse, qui de arte cupe-
dias adparandi laudabili æstimabilique ratio-
ne loquitur. — Obeo hasce eras destitutus
omni consortio, dum benemeritam Umbram
obviam habeo: continuo audio: Ea Apicii-
um illum helluatorem! Ingrata posteritas! —

Azin. Hæc nominatio helluationis ab iis
repetenda Eruditis, qui vetusta monumenta
disquirentes quorumvis illustrium virorum vi-
tas descripsere. Plurimos fames ad hæmo-
limina adegit, cumque non tam laute & de-
licate ad edendum bibendumque iis suppe-
teret, factum est, ut species invidiæ eorum
stomachos occuparet, teque & fortassis me

meique similes odioso helluatorum nomine adpellarent. At hodie longe aliter loqui placet; nec reperire est vel mediocrium facultatem virum, qui cum maxima voluptate in lautitiarum Elencho tutum receptum pro suo adpattu non inveniret. Hodie alius orbi de nobis sensus est. —

Apic. Ut hoc, quæso differe.

Azim. Cui ætati plures præsto sunt rationes sacra Cosmi festa celebrandi, ac hodiernæ? quanta his & novissimis diebus voluptas viguit! aureis radiis micans Phoebi currus in signo Coelesti Tauri ad nos properat, & svaves dies terram irradiant. Flores, tellusque luxuriando propululant, asparagi aliæque plantæ comparent magnifico cum adparatu palatum irritantes allicientesque nostrum. Universa natura alacritatem adhibet ad omnem Epicuri alumnum pacandum. & desiderio ejus satisfaciendum, hic veris splendor est.

Apic. Noli quæso Epicuri meminisse, utique te non latet, quantopere Romani nostri Philosophiam ejus vilem reddiderint.

Azim. Omnia hæc præjudicia, quidquid homines agunt aut famis aut sitis sedandæ gratia agunt — ob edendum, vel bibendum. Ad hanc metam omnis opera, conatus, labor omnis tendit & collineat. Præstituto eo: quod jucunda & svavis Epicuri doctrina & Philosophia, severæ doctrinæ continentia temperantiæque cedere debuerit, & quod moesta ratio gratam stupiditatem helluanti-

um & delicatas dapes edentium suppressere posset, quid, amabo, humano generi fiet? Viderentur meri lugubres vultus, pallidi, evanidi, instar Anachoretarum; in jejunio & poenitentia dies transigerentur; quot, obsecro, saporis plena naturæ munera interirent? quis asparagos, quis Cinaras (Artichocam) pisa minuta, quis arbores fructiferas aliaque cupedia coleret? quis Ostreas, pisces, feras sibi adferendas curaret? — quis artem coquendi discere, sique operam dare vellet? quis aromatum gratia mari se committeret? Orbis desolatus esset, esset miseriarum vallis, esset infelix peregrinatio, esset nemo, qui jucundam agere vitam, cui vitali aura contineri solatium esset. —

Apic. O elegantem veritatem!

Azim. Cultivatio exoticarum arborum, plantatio tam diversorum olerum, Chemia Culinarium operationum, diligentia in colendis vitibus; pocula fulgentia, strophia mensalia, supellex mensalis, vasa argentea, & porcellana, — omnis hæc luxus & gustus plena penus cupedias sectantibus in acceptis ferenda est. — Heraclitus severusque Moralista de ærumnis humani generis lamentetur, Cupediarum patræni rident jocanturque ad tabulam dapibus uadantem hæc lamenta contemnunt.

Apic. Excellentem, jucundam, perditam, solatiosam doctrinam! —

Azin. Elementa quævis, lingentibus ita di&is oribus tributum pendunt, idque pendendum habent, Eorum solummodo gratia maribus innatant salpæ; haleces, pleurone&tes; iis parent flumina, paludes, piscinæ Carpionum, luciorum, anquillarum, Salmonum Foriarum Cancrorumque divites; eorum causa acri involant alaudarum, scolopatum, aliarumque alitum turmæ; eorum gratia gallinæ, capones, anseres, galli Indici in villis saginantur; pro iis feræ opsea pervagantur nemora, atque mensæ adponuntur, propter eos bubulum pecus cum gravitate pascuo inerrat, ut hac ratione succi plena ex ejus carne Juscula parari & extrahi possint; Stomachus vere & genuine Centrale punctum est, quorumvis productorum, magnes quodvis devin&ens, attrahens — quid quid spirat, vegetat, crescit — quævis orbis partes tributum ei persolvunt, potissima humanæ industriæ pars ei tributaria est — quot milliones manuum pedumque ad industriosam alacritatem concitantur eum exsatiandi gratia.

Apic. Jamjam prægustum percipio, quamvis levis spiritus sim, sentio tamen adhuc Cibi adpetitum.

Azin. Multo tempore, integro pene semestri *Calendarium delicatarum Ciborum, Magna illa Charta delicatolorum luci non editum* — communis luctus per quasvis mensas se diffundit — at non latebat otiosum instar Magni Lama — pro communi lætitia rursus Parisiis apparuit. *Culta Europa reperit in eo dapum*

copiam novarum, ad hoc tempus ignotarum. Chemici adpetitus, vulgo *Coci* experimenta & tentamina instituunt, ad præscripta delicata ejus ad amissim custodienda. Pistorum Pastetarum novam Architecturam ex eo discant oportet; Vitruvius, Palladio, Phidias nihil simile excogitarunt. Nova creatio adparuit. Aesthetici, Jureconsulti, Poetæ & Prosaistæ convertant, ut iis placet, ingenia ad novas detectiones seu inventiones, impendant licet omnem conatum — ingenium quidem dilatorum Ciborum Calendarii assequentur nunquam; nunquam ii despotarum omnium principi *Stomacho* utilius, nunquam sapidius tributum dependent — poterunt mentem irritare quidem; at adpetitum ciborum, a quo tamen universus vivus mundus pendet, irritabunt nunquam.

Apic. Jam adpellet me mundus posthao belluonem. — Equidem me exemplo, quod in esu & potu Romano ectum orbi dedi, primum in quavis Civitate virum reputo.

Azin. Jam animus fert quidpiam tibi narrare de quodam opulento Anglo, opes immanes coacervante, & ob vitæ probabilius temperantiam prius vita functo, quam doctrinam secutus nostram functus fuisset; est is *Cel. Lordius Cavendish* de Physica & Chemia perquam bene meritus. — Chartæ signatæ pretium ejus hæreditati impensæ effecit haud minus 44000 Lib. Sterling. ejus vero facultates 1,200,000 L. St. (circiter 13,000,000 flor.) effecere, Lordius hic e præcipuis Angliæ

familiis ex gente Devonshire ortum trahens, at ex juniore ejusdem linea, in juventute mediocres habebat reditus, qui nihilominus homini litterarum amanti & moderationis studioso sufficientes videbantur, nec eos augendi per larga munera & luerosas dignitates, quas ob natales facile adepturus fuisset, ullum conatum adhibuit. — Cum prope 40 annorum esset repente hæres fit redituum annuorum ultra 900,000 Imp. quidam avunculorum ex Indiis redux videns virum a cognatis derelictum aut existimans eum a suis contemni, eum ex asse hæredem ultimæ voluntatis tabulis scripsit; Cavendish hac ratione ditiores se videt omnibus eruditis, prout probabile est, eum omnium divitum doctissimum fuisse, hæc nihilominus fortunarum accessio nullam in vivendi ratione mutationem fecit.

Apic. O vanitas opum absque arte comi & deliciis palati!

Azin. Sed libet ex alente & sapidiore arte ad Politicam transitum facere, atque quædam publicis paginis contenta Nova mensæ in vicem dapum sive odorantium adponere, prout ea Ephemerides ruminant & iterum ruminant. Non dubito ad aures tuas pervenisse de laborioso, & solertia incolarum celebri Regno Bohemæ, quod hodie plus lanæ quam Hispania cæteris regnis suppeditat, regno huic metropolis est, Praga — ampla & elegans urbs — jam vero percipe gaudium commune, quo incolæ vetustæ hujus urbis adfecti sunt! adventu ter amati

Principis , Regis , & Reginae suae , Princeps quoque Saxoniae Antonius cum Coniuge Theresia Austriaca & Princeps Amalia Saxoniae isthic morantur ; hæc sola regio est , quam Gradivus non invisit , & nunc in vicem venit noster Titus — *Post nubila Phoebus !* —

B I O G R A P H I A .

Josephus Albonis d'Azincourt facetus leporisque plenus artifex Theatri , Comicus aut vulgo Histrio Lutetiae Parisiorum Præcipue eminebat gratia & comitate in conversatione , civilitate , delicato in dapibus sapore gustuque . Erat familiaris & consiliarius Editoris Calendarii delicatorum ciborum , qui ei multam , quam subin adeptus , gloriam per ejus in argumento cupidorum parandorum artis opuscula & probatas cogitationes , in acceptis ferendam habuit ; paucis ante annis ex indigestione obiit .

Apicius erat nomen trium Romanorum qui belluando memorabilis se reddiderunt , non ingenio , dotibus animi aliisque virtutibus inclaruere . Primus vixit sub Corn. Sella , secundus ætate Augusti & Tiberii , tertius sub regimine Trajani Imperatoris . Inter hos celeberrimus erat secundus . Invenit diversa dapum genera , ab ejus nomine adpellationem sortita , publicasque prælectiones in belluando dedisse , ac Scholam helluonum Romæ habuisse dicitur . — Aliqui ei opus : *de Gulae irritamentis seu de re Culinaria* tribuunt , cui tamen

us scriptor celebritatem operi conciliaturus nomen Apicii præfixisse, atque in suum usum vertisse videtur. — A Plinio adpellatur: *Ne-
potum omnium altissimus gurgis* — posteaquam
duos & dimidium millionem pergreatus
fuisset, exsolutis, quæ gulæ explendæ gra-
tia contraxit, debitis, non plus quam duas &
dimidiam Tonnâ auri (250000 Libræ gall.)
superesse comperit subductis rationibus, quo
exterritus, metu actus: sibi fame percundum
esse, toxicum sumsit. *Martialis* ad hunc lo-
cum argute ait.

Nil est Apici tibi gulosius factum!

Tertius qui sub Ulp. Trajano vixit arcandæ
se multum commendavit *Ostræas*; recentes
conservandi.

T e m p u s.

In amplis urbibus meras inter voluptates
tempus labitur — continuo id breve fit — ac-
cidit: ut vir fortunis præditus (ajunt Parisi-
næ paginæ) juvenem viduam thori soci-
am sibi adlegendi animum haberet, de
quo eam certiore reddit: matrona ei re-
spondet: Dilecte amice! sentio animo se
abs me amari & vitæ consortem adsciri
posse, at profecto tempore destituor, ad hoc
negotium suscipiendum — dictum lepidum
haud minus quam candoris plenum! —